Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26157
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et sic usque ad finem alternatur. In prima ad iii nocturnum legitur omelia de evangelio Cum appropinquaret. Iuxta ordinem non dimittitur salutatio ad passionem nisi in parasceue ubi et sacerdotale officium reticetur, scilicet Gloria tibi domine non subiungitur. Sciendum autem si quando infra passionem de aliquo sancto agimus, Gloria patri non dimittimus. In feria ii et iii post palmas due lectiones leguntur continuati ad missam ut in natali domini. Item in feria iiii post palmas due lectiones leguntur continuati ad missam et singule recipiunt genuflexiones nec inmerito. Nam et ea de die in antiphona ad introitum omnia celestia terrestria et infernalia ad genuflexionem post passionem domini adhortatur. Quia in hoc consilio facta legitur quod in hac die iudei consiliati sunt hoc in parasceue peractum est. Sicut enim parasceue plus quam alie ferie vel in genuflexionibus celebres habentur, sic et hac iiii feria plusquam aliis genua merito flectere debemus. Cum omnes iiii ferias propter passionem domini observemus, quare illam maxime nobis observandam? quia nobis specialiter eandem passionem annuatim representat. Iuxta quoque romanum ordinem easdem orationes cum genuflexionibus in iiii feria debemus, quas in parasceve ante salutationem sancte crucis sancta ecclesia solet observare. Preterea hec ebdomada iuxta romanam auctoritatem maior appellatur, eo quod ex sacratissimo dominice passionis sacramento insignior ceteris habetur. Iure quoque eandem cum lectionibus et genuflexionibus sive in aliis observationibus celebriorem quam alias habemus. Iuxta romanum ordinem in cena domini, parasceve, sabbato sancto ad matutinas laudes post Benedictus sub silentio dicendum est Kyrie. Preces orationes. In cena domini Gloria patri et Gloria in excelsis reticetur, nisi ubi crisma conficitur. Diaconi et subdiaconi tamen talmaticis et subdiaconalibus utuntur. In die illa sub anathemate interdicitur ne quis solvat ieiunium quadragesimale ut priscillianiste faciunt. Sic enim sancti patres in laodiceno et toletano concilio constituisse leguntur concilio. Hinc beatus Augustinus in sermone de xl quod qui in quadragesima unum diem pretermiserit totam xl violavit, precipue illam diem que cum finis ad quadragesime magis esset observanda quam alie quia omnis laus in fine canitur. In parasceve officium a lectione non ab oratione incipitur. Quia oratio finis solet esse magis officiorum quam principium ut in ipsa missa patet et in singulis cursibus. In eadem autem die ad singulas orationes preter illam de iudeis flectamus genua dicimus statimque levate. Post ea orationem subiungimus romano more sicut in aliis diebus continuamus. .t. iii.

De sabbato sancto Cap. LIII.